

LEGES GYMNASII

GEDANENSIS,
MAGNIFICA

Nobilissimi & Amplissimi
SCHOLARCHALIS
COLLEGII

AUTORITATE
Denuò recognitæ, auctæ &

Confirmatæ,

die XXVIII. Julij

Anno M DC LV.

Typis VIDUÆ GEORGII RHETII.

Autoritas assurgit Legibus
recognitis, ac auctis,

S. R. Maiest. Burggrafio Illustri,

VIRO MAGNIFICO, STRENUO,
NOBILISSIMO Q;

DN. ADRIANO a Linden/

Præconsule Seniore, & Protoscholarchâ
summè merente,

UT ET

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIONIS Q; VIRIS,

DN. NICOLAO a Bodeck/
Ærarii Præfecto,

DN. ADRIANO Engelcken/


DN. IOACHIMO Schradern/

CONSULIBUS ET SCHOLARCHIS
DIGNISSIMIS.

Assistas Nostris Altissime Iova SCHO-
LARCHIS!

ARS, LAUS, AC BONITAS, EUNOMI-
EN SEQUITUR.

Dirigat Jehovah Manus.



PROOEMIUM.

*E*T si verissima est Pauli sententia, legem non esse positam justis, sed legis contemptoribus, & qui subjici nesciunt; tamen cum in omnibus hominibus, praeferim in etate juvenili magna sit infirmitas, magna inscitia & ignorantia, ut saepè vel boni etiam judicii quādam immaturitate, vel legum ignorance, vel aliorum exemplis & persuasionibus in fraudem inducantur: prodest iis quoque certas legum formas proponi, secundum quas, ceu vivendi certas regulas & normas peccata devitare, uitamque & omnes actiones suas recte informare discant. Hoc consilio (licet & in hoc nostro cætu multos bonus & moratos esse Discipulos non dubitemus, qui vel sine monitore sponte facturi sunt officium) nos etiam hasce leges nostras, universis & singulis nunc proponimus, quarum ductu & auspiciis, omnia sua studia, mores, & vita instituta gubernent & componant. Quare omnes Gymnasii nostri Alumnos & Discipulos hortamur, ut his debitam & spontaneam præstent obedientiam, ac memores sint dicti Apostolici: necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

I. LEX.

DE PIETATE.

Præclarè inquit Psaltes: *Principium Sapientia,
timor Iehovæ, & intellectus bonus facientibus pra-
cepta ejus.* Ut igitur felicia sint doctrinarum
studia, à Pietate omnia erunt inchoanda. Manè itaq;
cūm primùm cubitu surrexeris, à piis votis & lectione
Sacra operarum initium facito; vesperi iisdem claudito. Et
quia jā certæ Preces publicæ horâ V. Matutinâ, & IX Vesper-
tinâ fuerunt constitutæ, illas ne deserito, sed communè Ec-
clesiæ, Reipublicæ, ac Gymnsii nostri, Tuamq; ipse salutē
conjunctionis suspiriis poscito. Ab execrationibus, juran-
di futilitate, perjuriis, Artibus Magicis, superstitionibus
omni tempore abstineto. Concionibus Sacris & Litur-
giis Ecclesiasticis frequens interesto. Exordium, Proposi-
tionem, Confirmationem, Principales Doctrinarum Lo-
cos, & quæ in ipsâ Elocutione observatu digna reperiun-
tur, fideliter annotato. Munus vero concionandi cuivis
Discipulo Clasis secundæ & Tertiæ severè interdictum
esse scito. Auditoribus autem primæ classis piis & erudi-
tis concessum, hâc tamen lege, ut conciones habendas Re-
ctoris Censuræ prius subjiciant. Preces usitatas, ante &
post sumtum cibum recitandas, nunquam intermittito.
Successum & benedictionem divinam ad omnia vitæ tuæ
instituta frequenter implorato, omnesque tuas cogitatio-
nes, omnia studia & actiones ad agnitionem & celebra-
tionem Dei referto. Etenim Pietas ad omnia utilis est, ha-
bens promissionem vita præsentis & futura.

II. LEX.

DE REVERENTIA ET OBEDIEN- TIA ERGA SUPERIORES.

Postquam Deo Opt: cultum pietatis & obedientiæ debi-
tum

tum præstisti, proximè tibi ad Magistratum, Parentes,
& Præceptores tuos deveniendum est. Hos enim Deus vi-
ces suas in terris gerere voluit, & per hos mundum hunc
magnâ ex parte administrat. Quare de his omnibus hono-
rificè sentito: dignitatem eorum atq; authoritatem, neq;
contumeliam, neq; violentiam ullâ attingito: in omnibus
(quæ impietatem non sapiunt) subjectionem & obedien-
tiam debitam sine morositate & contumaciâ eis præstato:
Vocatus ab iis, quovis tempore sine cunctatione eos acce-
ditto: humani quid passis, ne obtrectato; monitis & cor-
rectionibus ne obmurmurato: Observantiam, amorem,
gratitudinem, verbis, gestu, & factis erga eos semper de-
clarato.

III. LEX. DE DILIGENTIA IN DISCENDO.

Præceptoribus tuis eo nomine commendatus es, ut ipso-
rum ductu in piate, doctrinâ liberali, & morum cul-
tu proficias. Manè itaq; quod tempus studiis aptissimum
est, ad discendum mature surgito: ad prælectiones audi-
endas, horâ constitutâ sine morâ adesto: calamo, atra-
mento, chartâ & libris, quibus opus, semper instructus esto:
Professori legenti vel repetenti diligenter auscultato: ante
dimissionemne egreditor: nullius studia, & diligentia
am susurris vel aliâ quâvis ratione interturbato: lectiones
auditas domi diligenter repetito, certissimè persuasus si-
ne Repetitione Lectionem non fore frugiferam: si quæ
non es affecitus, commilitones vel Professores finitâ ho-
rà de his interrogato. Stylum qui optimus dicendi Magi-
ster est, in solutâ & ligatâ tamen Græca, quâ Latina Oratione
assidue exerceto. Musicâ te oblectare volens in trâ privatos

rietes id facito; horas studiis gravioribus aptas eâ ne consumito; Omneq; tempus tibi perire statuas, quod literis non impenderis. Alumni & Beneficiarii, qui abfuerunt lectionibus publicis, ad tempus mensæ communis beneficio, chori Symphoniaci membra, parte aliquâ collectâ, privabuntur: habitatores palatii, parum diligentes in frequentandis lectionibus, è palatio excludentur; cæteri eidem culpæ obnoxii, non facilè ad actus publicos habendos admittentur, nec testimoniis ad beneficia aut munia necessariis ornabuntur.

IV. LEX DE MODESTIA.

MAGnum decus & ornamentum in adolescente ingenuo est Modestia, multarum virtutum mater, que majorem quoq; ipsâ doctrinâ meretur commendationem. Huic ergo semper & ubiq; diligenter studeto; per plateas decenter & composite ingreditor; ne vociferator, ne tumultuator, ne circumcursato: cristatus, calamistratus, gladio accinctus, absq; pallio, baculum vel simile quid manu, ferocis instar militis, vibrando, ne incedito. Interrogantibus placidè & modestè respondeto. Mensæ gestu composito assideto. Indecori in eâ nihil admittito, Januas violenter nec pulsato, nec occludito, per scamnâ Auditorii ne discurrito: probitate domi & foriste omnibus commendato. Omnibus personis honoratis, & auctoritate eminentibus, verbi divini Ministris, viris Eruditis & gravibus, Senibus & Civibus, item peregrinis dignitate vel integritate Conspicuis, nec non Matronis & Virginib; honestis debitum honorem exhibeto: ac ita tegrito, ut in omnibus actionibus tuis verecundia eluceat.

V. LEX

V. LEX.
DE SOBRIETATE, TEMPE-
RANTIA ET CASTITATE.

UT pietati & liberali doctrinæ vacare, & mores honeste regere possis, necessaria quoq; inter alias virtutes est Temperantia. Quapropter cibo & potu nimio ne te ingurgitato: Ad tabernas publicas, & loca parum honesta, vel suspecta ne accedito. A vino adustu, fructibus immaturis & alijs noxijs abstinetu. Compotationes nullas cum quoquam exerceto. Mala Sodalitia, tanquam peccandi illecebras & pestes, fugito: vel iis implicatus, mature te eorum consortio subtrahito. Castitati & Sanctimoniae, sine qua nemo Deum visurus est, assidue studero. Spurcos sermones & cantilenas, gestusq; omnes lascivos & indecentes, ne usurpato. Corpus tuum *Domicilium Spiritus Sancti*, & quod sanguine suo pretioso *Salvator tuus mercatus est*, libidinibus ne polluito. Sacrum hunc locum, pietati dicatum, in quo S. S. Trinitas & Angeli præsentes esse gaudent, ulla profanitate, procacitate, obscenitate, turpitudine, ne inquinato.

VI. LEX.
DE JUSTITIA.

Non nobis tantum, sed Aliis quoq; nati sumus. Ita ergo tibi vivendum esse scias, ut non tantum tibi profis, sed ut alteri etiam non noceas. Nullum itaq; tuâ culpa offendito; nullum minis terreto. Litigiis, odiis, provocationib; pugnis ne certato; inimicitias nullas seritos: nullum spoliato, alterius habitaculum ne oppugnato: fores & fenestras nullibi effringito: sedilia & mensas ne scindito: seras adulterinâ clave ne aperito: alienis abstinetu: inventa suis Domini restituito, vel ad Præceptores reportato. Pretium Institutionis, Lignalia, Locarium statu-

stato tempore solvito. Contracto & permutationes rerum
illicitas omnino ne exerceto, nec alios eis defraudato.
Horros nullius depopulator. Pilas nive conglobatas hye-
me in neminem torqueto: nulli impedimentum ullum,
dum quæ sua sunt, facit, objicito; nulli in universum no-
ceto; damnum, si quod dederis, præstato; semperq; ita
vivito, ut quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

VII. L E X.
D E V E R I T A T E.

Peculiare quoq; vitium est juventutis, ut si quâ in re
delinquat, mox effictis ingeniosè mendaciis, ea pallia-
re satagant. Quod si semel atq; iterum res procedat, quid-
vis postea, spe fallendi Præceptores, admittere non eru-
bescunt, atque ita in omnia scelera, religioni & vitæ com-
muni officientia, & sibi ac aliis tandem exitiosa, paula-
tim proruunt. Ab his igitur initio statim diligenter cave-
to: Contrâ Veritati, totius humanæ societatis conserva-
tioni summè necessariæ, semper & per omnia studeto.
Interrogatus de eâ nec Tuâ causâ, nec in alterius gratiam
occultato, nec reticentiâ tuâ alienis peccatis communi-
cato, si in mendacio deprehensus fueris, severiori pœnâ
Te afficiendum esse scito. Calumniis, obtreceptionib⁹, fal-
sis delationib⁹, convitiis, agnomine, neminem gra-
vato: famam & bonam existimationem nullius proscin-
dit; nihilq; turpius, nihilq; fædius esse ducas mendacius, & ca-
lumnios, quæ propria sunt opera Diaboli.

IIX. L E X.
D E M V N D I T I E.

Non parum etiam ad favorem adolescentibus conci-
liandum facit mundities, quâ ab hominibus incultis
& agrestibus homines ingenui discernuntur. Idcirco ca-
pillos

pillos pexos, faciem, manusq; lotas, ungues resectos, vesteſ & calceos mundos habeto : In Gymnasio quoq; stragula lecti, postquam turrexeris, componito : cubiculi ſordes, stramina, quisquiliaſ, lotium per fenestras ne effundito ; in pavimentum etiam, vel angulos, vel vestibulum loci ſecretioris ne dejicito ; ſed in locum deſtinatum deportato. In peristiliis, eorumq; angulis urinam ne proſicito ; multo minus vero alvum exonerato : Sedilia loci ſecretioris ne conſpurcato. Parietes, januas, mensas, ſcamna, picturis vel literis ne deformato. Ex urnâ publi- câ faciem vel manus, vel quascunq; res alias, ne lavato. In puteum lapides, cæmentum, ſarmenta vel quascunq; res alias, ne dejicito, neu aquam ullâ ratione inquinato, tuâ ne petulantia omnium, qui in Gymnasio ſunt, vale- tudini & ſaluti officias. Deniq; ſordes in hortos vel areas vicinas cujuscunq; ne proſicito.

IX LEX. DE LUSU.

Quid caret alternâ requie durabile non est , inquit Poeta. Ideo & nos aliquid laxamenti indulgendum arbitramur Gymnasii nostri Discipulis, ut ludo & honestis corporis exercitamentis vacantes, à discendi laboribus interdum respirent, quo tanto alacriores, honestis, ac ingenuos juvenes non dedecentibus lusibus recreati, ad Musarum culturam revertantur. In ludendo autem modestiæ fines ne excedito: a rixa , dolis, tumultuatione, injuriis caveto: pecuniam vel ſimilia ne deponito ; ſed ſolâ victoriæ gloriâ contentus eſto. Ab aleæ & chartarum ludo prorsum abſtineto, ſiquidem illud non tantum legibus interdictum, ſed & juventuti ad otium, rixas, in- gluviem & id genus vitia pronæ, ut plurimum perni- ciosum eſſe ſolet.

X. LEX.
DE PRÆCAVENDIS ET EVI-
TANDIS PERICVLIS.

INter alia mala & incommoda hoc etiam peculiare est
ætati juvenili, ut improvida sit, & temere se in multa pe-
ricula præcipitet, Omnia ergo, quæ tibi aliquod possunt
creare periculum, cautè devitato. In fluminibus & lacu-
bus prorsus ne lavato. Per glaciem calopodijs vel simili-
modo ne vehitor. Sclopeta missa facito, nec ex clavibus
vel alijs cannis æreis aut ferreis tale qvid efformato; mul-
tò minus ea displodito. Arma, qvibus vitæ alterius no-
cere possis, ut sunt pugiones, gladii, & hujus generis alia
ne gestato; neq; ulla sine singulari indultu in Museo tuo,
habeto. Ab equis, rhedis & canum morsu caveto. Ad
gladiatorum spectacula ne accedito: pugnantibus in-
ter se ebrijs vel rixosis ne assistito, nec te illis immisceto.
Per gradus, qvibus ad conclavia superiora ascenditur,
præcipitanter ne decurrito: in contignationes superio-
res ne petito; multò minus per trabes transversas ince-
ditto. Sepem ligneam, quæ Gymnasi limites à vicinis lo-
cis dirimit, vel ullum parietem ne transcendito. A fru-
ctibus immaturis abstineto. Ligna in palatio, tuâve Ca-
merâ ne secato. In Gymnasio post horam qvintam hy-
berno tempore hypocaustum ne calefacito. Autumnali
tempore fumiductum purgato, tuis ipsius sumptibus:
nec ignem in fornace continuo foveto. In cubiculis, aut
alibi, intrâ Gymnasi septa, candelas ardentes, sine later-
nis ex laminis ferreis vel alioquin tutis & idoneis ne ha-
beto; easq; petiturus lectum, signo dato statim extin-
guito, nec eas sub metu pænæ gravissimæ iterum accen-
ditto, ac semper non arcessenda, sed ultro etiam venientia tibi
cavenda esse pericula, memineris.

XI. L E X.

DE HABITANTIBUS AC PER-
NOCTANTIBUS IN GYMNASIO.

Verè dictum est : *vitare peccata, esse, vitare occasiones peccatorum.* Quamobrem ut & nos Discipulis nostris aliquo modo eas præscindamus, eorumq; studia & instituta magis explorata habeamus, Nemo eorum, qui apud nos habitant & pernoctant, sine veniâ Rectoris, & Inspectoris, foris temerè pernoctato ; minimè omnium noctu per urbem cum gladiis & clamoribus discursato, venientes ad te nullos, pernoctandi apud te gratia, recipito, vel in Cubiculo tuo clàm foveto ; Multò minus & similes opifices ac Cerdones Sartores, Sutores sustentato. Alios, nugandi, & ineptiendi vel turbandi eos causâ, post cœnam ne accedito. Musicam verò decenter exercere, vel lectiones invicem repetere liberum est, Cameras & Musica nemo alteri divendito ; cum enim sint publici juris privatum possessorem non agnoscunt. Cùm etiam clavium abusum, prudens quisq; meruere debeat, utiq; clavem januarum publicam vel universalem nemo habeto. Alumni Amplissimi Senatus, & cæteri leges Oeconomicas, Sanctissimè semper observanto. Nihil quoq; absq; consensu Rectoris & Inspectoris in habitatione tuâ demolitor, nihil perditio, sed sarta & tecta, ut tibi tradira sunt, servato omnia.

XII. L E X.

DE NOVITIIS, & PEREGRINIS
POEDAGOGIAS QVÆRENTIBVS.

NOvitius ad nos veniens, nomen tuum Rectori significato, teq; ab eo in numerum Scholasticorum recipi petito, Legibus, Rectori, Inspectori, & Professoribus omnibus reverentiam & obedientiam promittito, nec le-

Etiones ullius Professoris prius adito, qvam Rectori no-
men professus, & reverentiam ac obsequium legibus
præstandum pollicitus fueris. Censuræ, judicio & exa-
mini, qvisqvis es, qvi Gymnasii nostri membrum esse
volueris, sine tergiversatione omni tempore te submit-
tito. Idem Pædagogias qværentes & obtinentes, cuius-
cunqye fortis studiosi audiant, Pædagogiaæ Præfecti, vel
præficiendi præstanto. Testimonium quoq; virtæ & mo-
rum a Præceptoribus tuis, vel hominibus aliis gravibus
& eruditis tecum afferto, & apud Rectorem deponito,
nec, nisi ab eodem etiam novo instructus, discedito. Pæ-
dagogiam apud cives honestos nactus, in officio tuo fi-
delis esto, discipulis pietate & bonis moribus prælucero:
iisq; te & hero tuo & Præceptoribus commendato. Disci-
pulorum operâ in afferendâ aquâ vel cerevisiâ, portan-
dis lignis, calefaciendis & purgandis musæis, præferendâ
face, sternendis lectis, & similibus ministeriis servilibus,
ne abutitor. Discessurus iisdem rursùm valedicito, pro
institutione & viœ gratiam habeto, & cum factis ne-
queas, verbis declarato. Nisi verò valedixeris, semper
Te Gymnasii legibus obnoxium manere scito. Quin &
nemo Pædagogorum, sive Academicorum, sive Gymnasii no-
stri Alumni sint, discipulos publicæ classi subtrahito, in-
stituturus eos privatos inter parietes: Nec Professorum
ulli tales Pædagogos, Discipulos, sive Gymnasio, sive aliis
publicis Scholis subtrahentes promoveant. Præstat enim
nō habere Gymnasii fucos & turbones, qvi tam publicos
discipulos, qvam Præceptorum publicam institutionem
fugillant, destruentes, non ædificantes Gymnasium.

POENA TRANSGRESSORUM.

Cum autem inutiles omnino sint leges sine executione,
& nervus totius sit disciplina, ut inobedientes & con-
sumaces debitâ animadversione coercentur. Qvare ne
qvâ

quā in re nostro desim⁹ officio, in om̄nes, q̄i doctrinæ &
disciplinæ nostræ commendati, has leges Magnificorum
DDn. Scholarcharum autoritate confirmatas petulan-
ter vel superbè contempserint, ac violaverint, justā seve-
ritate animadvertemus, & pro delicti & circumstantia-
rum magnitudine ac ratione, vel monitis & severā ob-
jurgatione corripiemus, aut alijs Scholasticis pœnis affi-
ciemus: vel si enorme sit delictum, & Gymnasio nostro
contumeliosum, ex honestissimâ Societate, cœtus nostri
Scholastici præviâ authoritate & consensu Nobilissimo-
rum Scholarcharum nostrorum, eum prorsū ejiciem⁹.
Qvod idem qvoq; de otiosis vagatoribus, & q̄i ut pecus
scabie infectum, improbitate & malitiâ suâ alios cor-
rumpere solent, statuimus. Qvod si autem qvis autho-
ritatem nostram contumaciter eluserit pœnæ meritæ, ut
par est, se subjcere detrectaverit, aut nobis, vel cœrui no-
stro Scholastico molestus, vel quâcunq; ratione iniurius
esse perrexerit, eum Superiori Magistratui indicabimus,
qui patrocinium nostri & legum nostrarum benevolè su-
scipiet. Si qvis tamen eorum, hominum animadversio-
nem effugerit, eum justo Dei judicio, contemtum legum
& disciplinæ severissimè suo tempore vindicaturo relin-
quemus. Quapropter ut his legibus nostris, & propter
Dei mandatum, & conscientiæ vestræ integritatem, &
qvia hoc vobis etiam utile est, ultrò & sponte pareatis,
vos iterum iterumq; om̄nes & singulos exhortamur.

P O L L I C I T A T I O .

E GoNN. sanctissime promitto, me, auxiliante Deo, leges hu-
jus Gymnasi servaturum, Magnificis Dominis Scholarchis,
Domino Rectori, Inspectorī, & cœteris Professoribus in omni-
bus sponte obtemperaturum, in studiis diligentiam, fidem &
assiduitatem præstiturum, pœnas ob legum violationem irroga-
tas sine tergiversatione patienter subitum, multo minus ab-
s. Consensu Rectoris discessurum, nec quicquam eorum
omissurum esse, quæ ad officium fidelium, & gra-
torum discipulorum pertinere intellexero.

LEGES
MAGNIFICORUM D D: SCHOLARCHARUM
PRO UTILITATE ET EMOLUMENTO
ALUMNORUM
PROMULGATAE.

L. I.

Recepti in Reipubl: Gedanensis Alumnorum numerum, ad locandum operam suam Amplissimo ejusdem Senatui, quando ab ipso vocati fuerint, cum perpetuis gratiis se obliganto.

L. II.

Beneficiarii Pœdagogias ne ullas habento, neq; minus ullius familij, se absq; speciali induitudo Dni Oeconomiæ Regentis, addicunto.

L. III.

Dno. Inspectorj Beneficiarii, antequam ad mensam adducuntur, nomina sua danto, & obsequium promittunto.

L. IV.

Omnes Alumni omnibus Gymnasio Præfectis Professoribus, Præceptoribus & Legibus, in primis vero Dno. Rectori et Inspectorj, cui Oeconomiæ & Alumnatus Inspectio specialiter commisfa est, honorem & Obedientiam in omnibus præstanto, nec admonitionibus, vel objurgationibus & correptionibus ejus se opponunto.

L. V.

Conciones sacras, diebus, cultui divinæ Majestatis destinatis habitas, diligenter excipiunto, ac Dno. Rectori mature exhibento, Has qui neglexerit, cænâ careto.

L. VI.

Lectiones publicas præ reliquis perpetuâ diligentia audiunto, & jussi in publicis vel privatis disputationibus, Facultati cui præsertim operam dare cogitant accommodatis, respondere, aut Orationes habere, si tantarum sunt facultatum, ut illas præ lo commode subjecere possint, ac tanti judicij, ut materias, de quibus disputatio instituitur, quadantenus intelligent, ne recusanto: Si quis vero hoc facere detrectaverit, hâc ipsa ter giversatione mensâ hâc indignus judicabitur.

L. VII.

Ut autem exercitorum, e quibus Gymnasijs Laus effulget maxime major habeatur frequentia, unusquisque alumnorum, quem ordo tetigerit, unum ad minimum per septimanam exercitium æteris lectionibus publicis non neglectis vel Disputando vel

perorando, vel simili doctrinæ genere, licet illud typis non ex-
scribatur, pro viribus tui habeto. Officium statuto tempore ne-
gligens, per biduum mensæ communis beneficio caret.

L. VII.

Quicquid singulis lectionibus exceperint, vel observitarint,
quovis trimestri, in publico Dominorum Profesorum confessu,
producunto.

L. IX.

Dominum Oeconomum quoq; debitâ reverentiâ prosequun-
tor, nec in re ullâ se illi opponunto, nec quenquam contra illum
excitanto, quod si aliquis in cibo & potu sibi satis fieri non
existimet, Dno. Inspector i veletiam Rectori significandum
erit, absq; quorum veniâ etiam nulli pernoctandi extra colle-
gium facultas tributa siet. L. X.

Ad mensam d. to signo modestè & confessim accedunto ut con-
secrationi illius precibusq; piis intersint, Ciboq; sumto, ac
precibus recitatis, hymnum concinûto. Ad Mensam etiam
convivam neminem, sine Oeconomi indultu adducunto.

L. XI.

Inter prandendum & cœnandum, temperantiæ, modestiæ, mo-
rumq; civilitati studento, nec partes cibi aut alia vicino præ-
ripiunto, causamvè liti vel concertationi præbento; lingvâ
verò latinâ omnes utuntor. Primus in ordine singulos curio-
sè observato, & si quid contra bonos mores admisum fuerit,
id absq; morâ Dno. Inspector indicandum.

L. XII.

Utensilia ne corrumpunto, incuriâ autem culpâve suâ damnum
qui dederint, illud ex cognitione Dni. Inspectoris compensanto

L. XIII.

Inter prandendum & cœnandum Alumni secundum ordinem,
septimanatim aut dietim, Justinum aut alium quendam Hi-
storicum, prout Dnus Inspector juserit, & ordinârit, legunto.
Quam lectionem cæteri attentè audiunto; neq; clamoribus aut
ineptiis illos turbanto. L. XIV.

Mensâ remotâ & operas suas & clavalia rursus se recipiun-
to, ne Oecono mo aut familiæ molesti sunt.

L. XV.

E mensâ nihil quicquam secum supellestilis culinariæ sc. panis
& cibi, sine consensu Oeconomi secum auferunto, multò mi-
nuis quos delicatuli fastidiunt cibos, in partes ne quiter commi-

nuunto, ut neq; Oeconomi familiæ, nec pauperibus etiam
usui esse possint. L. XVI.

Preces matutinas & Vespertinas Autoritate publicâ institutas
magnâ cum devotione recitato, officium in iis demandatum
diligenter obito, nec unquam præsentiam tuam, subtrahito
tardius veniens primo ferculo, emanens vero toto prandio,
vel cænâ careto.

L. XVII.

In Calligraphiâ, Arithmeticâ & Musicâ, quæ fortem tenuio-
rem subinde solantur, & omnem ætatem ornant, diligenter Te
exerceto. Harum notitiâ, qui destitueris & per ætatem ac
Naturam potes addiscere, publicas horas ne negligito.

L. XVIII.

Famulitio, qui fungeris publico, aliis bono exemplo præluce-
to, nec te Affinem carum rerum, quarum cæteri accusantur,
facito, præstantiorem locum in Mensâ communî habeto, ac
officio Tuo, præsertim in omnibus negotiis à DNO. Rectore
& Collegio Profesorio demandatis, procurandis, præcipue
vero Dominorum Profesorum convocatione, fideli Disputatio-
num & Programmatum distributione, publicorum ædificiorum
& Bibliothecæ apertione, & obseratione ac similibus gnavi-
ter defungitor; delinquens, pœnam severiorem luto.

Qui modestiæ fines transflerint, & leges hasce salutares The-
onino dente intra extravè commune convictorum, arroserint,
vel quoq; in illas, aliasq; peccârint, pœnis in legibus Gymna-
sii constitutis, aliisq; arbitriis pro personæ & delicti quali-
tate afficiuntur. Refractarii verò & turbatores, aliisq; hoc be-
neficio indigni, eo privantor, & ex honestissimâ Gymnasii so-
cietate ejiciuntur. Contra verò leges has qui reverenter ob-
servârint, ac modestiam, soleritiam, doctrinamq; suam Dominis
Professoribus probârint, ulteriore promotionem certò sibi
promittunto. Ut verò Magnifici Dni. Scholarchæ vitam mo-
resq; Alumnorum accurate exploratos habeant, testimonium
vitæ suæ à Dominis Professoribus impetratum Magnifico Do-
mino Oeconomiæ Regenti, singulis semestribus exhibento, sicq;
se in omnibus actionibus gerunto, ut exinde & Altissimum laus
& gloria, se verò proba & piè actæ vitæ amplissime præmia
maneant.